

mortis conficere aliquid. Praemiserat ille Librum *de Anima*, unde initium nostrum ex edit. *Maur. T. I. Opp. Paris. 1686. col. 389.* f. ita restaurandum: *Quoniam de Anima superiore libro — conteximus &c.* Definit Codex in haec verba: *et invenit viventem apud viventem.* Itaque pauca defunt, et per decursum Textus cum Edit. cit. probe consentit.

CLXXXVI. VII B 6

83 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 213. f. per duas columnas nitide scriptus et rubricatus continet I. Partem Exegeticorum Origenis in Pentateuchum hoc titulo caractere quadrato praefixo: *Adamantii. Senis. Qui. Et. Origenes. In. Pentateuchum. Omelie. Interpretante. Sancto. Iheronimo. Presbitero* (potius *Rufino*, vide *Dan. Huetii Origeniana* L. III. c. 2. sect. 3. n. 1.) *De. Greco. In. Latinum. In. Genesin. XVI. Omelie.* Initium: *In principio fecit Deus celum et terram. Quod est omnium principium? nisi dominus noster et saluator omnium Ihesus Christus primogenitus omnis creature? &c.* Finis Homiliae XVI. *Et Deus erit semper nobiscum. per ihesum christum dominum nostrum.* Deest itaque Homilia XVII. quam vide sis T. II. *Opp. omn. Orig. Paris. 1733. p. 105.* Cum hac editione Textus noster plurimum concordat, si vel ipsa *Lemmata* Homiliis praefixa spectes.

Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

A Fol. 124. p. 2. *Incipiunt In Exodum Omelie. Tredecim.* praemissis omnium Argumentis. Initium primae est: *Videtur mihi unusquisque sermo scripturae divinae similis esse alicui seminum &c.* Non deest hinc inde lectionis varietas; ita initium *Hom. VI. Multa quidem cantica fieri legimus in scripturis divinis*, melius legit *Noster: referri legimus.* Sub finem *Hom. XI.* nobis defunt illa verba: *sicut et in oratione dicere jubemur: Adveniat regnum tuum.* Finis *Hom. ultimae: et componere. atque ex his adornare tabernaculum deo iacob. Per christum. d. n. &c.*

A Fol. 148. p. 2. *Incipiunt omelie in leuiticum. XVI.* Praemittuntur argumenta singularum. Prima sic incipit: *Sicut in nouissimis diebus uerbum dei ex Maria carne uestitum processit &c.* Sed Tertia pene in medio ad illa uerba: *Cum infirmor, tunc potens sum,* abruptitur, ultimis 18. lineis jam recentiore manu adscriptis. Vide et *Cod. seq.*

II. a Fol. 153. p. 2. habetur sine Titulo et nomine Autoris *Sermo de Nativitate et Divinitate J. C.* qui incipit: *De illa occulta habitatione sua egressus est filius dei. Excellentissimum et dulcissimum illud sancti spiritus organum beatus Gregorius romane sedis episcopus et uniuersalis ecclesie pontifex summus desiderans nostros animos ad extollendas laudes huius sanctissime natiuitatis accendere &c.* In fine mutilus est, definitque in haec

M m

haec

haec verba: *Hic ille uerus fol.* Cum Codex hic olim *Limpurgensis Cenobij* fuerit, ut *fol. ult. p. 2.* notatur, fortassis Sermo noster autorem habet *Rupertum* Abbatem, de quo *Trithemius C. 365.* et nos ad *Cod. DCCL.* meminimus.

III. a *Fol. 156.* sequitur *Anonymi*, qui et *Gregorium M.* citat, *Traclatus de Phrasi et Allegoriis S. Scripturae*, adeoque in duas Partes factus, quarum secunda margini voces, quas exponit, juxta Alphabeti feriem minio adscriptas habet. Orditur vero: *Expositio sacre scripturae fit per significationem uocis. uel significationem rei. Per significationem uocis principalem. uel secundariam &c.* Et finit: *Moses in fiscella. nucleus in testa. thesaurus in terra.* Multum ei cum *Formulis Spiritualibus Eucherio Lugd.* adtributis *Bibl. PP. Lugd. T. VI.* et *Isidori Hispal. Etymol. Libro VI.* et *VII.* convenire deprehendes.

IV. a *Fol. 169.* usque ad finem habentur sine Autoris nomine *Petri Lombardi Ep. Parifini Sententiarum Liber II.* et *III.* sed hic non integer. Defectus *Libri I.* statim sub principium ita rubro indicatur: *Hic deest primus de trinitate liber.* Calamus recentior adjecit *sententiarum. Liber II.* infit ab hac rubrica: *Vnum esse rerum principium ostenditur non plura. ut quidam putauerunt. Continuatio prioris libri ad sequens.* Deest huic *Libro* Distinctionum Elenchus; non vero *Libro III.*

qui praeterea *Praeloquio* gaudet, quod incipit: *Sic enim rationis ordo postulat &c.* et finit: *gratia ad miserum accedat.* Praeloquium istud abest ab antiquissima *Lombardi* editione *f. l. et a. in fol.* cujus gemino exemplari in Bibliotheca nostra manu praenotatus est annus 1471. In ora tamen inferiori unius horum exemplarium manu subpletum est. Abest pariter ab edit. *Colon. 1567. 8.* Invenitur tamen jam in edit. *Basil. per Nic. Kesler 1487. f.* Ceterum Codex noster tantum pertingit ad *Distinct. XXIX.* Verba haec: *Multorum caritas inordinata est.*

Ad illum compingendum adhibita sunt Folia *IV. Antiphonarii Sec. XIV.* quae Antiphonas de *SS. Nicolao* et *Paulo* modulibus musicis inclusas exhibent.

CLXXXVII. VI F. 18

Codex membranaceus lat. Sec. 402 XII. Folior. 143. 4. bene exaratus, rubricisque distinctus, atramento tamen in variis paginis admodum pallente hoc praefert Rubrum: *Incipit Liber leuitici cum omeliis Suis Numero XVI. Origenis. Originem* praeter *Excerpta*, quae commemorat *Hieronymus* apud *Rufin. L. II. Inuest.* etiam *Homilias* in *Leuiticum* saltem *dictasse*, testis est earum interpretis latinus *Rufinus* in *Perrat.* quam *Versioni* suae *Explanationis* pariter *Origenianae super Epist. Pauli ad Rom.* subjecit: *In his, quae in Librum Levitici*
ab